









1748.

1. Breitkopf, Christianus: P*ri*o manus . . .  
Francisci Corati Pensadi . . . publico academiae . . .  
nomine consecratum interprete . . . Ch. Breitkopfe
2. Dommerich, Fran. Christoph: Consensum in facti alieni  
imputationem verum imputationis esse fundamentum  
probat atque accessionem suam rationem reddit.
3. Eisenhart, Fr. Fridericus: De lectione corporis juris  
civilis in studio juris non negligenda. . . .
4. Eisenhart, Franc. Fridericus: De dotatio viduarum  
summarum in Germania praesulum protestantium.
- 5<sup>o</sup> Haebelin Franc. Dominicus: Verendum veteratibus  
nominentum sistens statuta Insabensia Latino  
saeculo III in literas redacta . . . in locum edit.
- 2<sup>o</sup> Haebelin  
6. Haebelin, Franciscus Dominicus: De lite inter . . . Do-  
mus Bavaricam et Palatinam super exercitibus S. R. I.  
vicariatus Adnani inter utramque domum composita -

7. Legeras, Christianus Fridericus: De dominio principis  
eminente jure majestatis.
8. Pertsch, Fr. Georg: De origine, usu et auctoritate  
pallii archiepiscopalis. 8vo-4., qua --- lectiones  
per semestre hibernum dabendas indicit.
9. Pertsch, Fr. Georg: De commodis, quae e pacificatione  
Westphalica in theologiam redundarunt.
10. Pertsch, Joann. Georg: De jure subvasalli in sub.  
fundo. fendo aperto.
11. Schubert, Carolus Fridericus: An ex l. Julia Augusti  
poena adulterii fuerit mortis?
12. Seidel, Christophorus Mathias: De feto philosophico  
practico  
1749.
1. Eisenhart, Fr. Fridericus: De eo, qui tristitia nunciavit,  
quo minus quis judicio se sistat.

2. Eisenhart, Joannes Fridericus : De fidejussoribus datus
3. Eisenhart, Joannes Fridericus : De jure testamenti prodigo non competente
4. Haebertin, Franc. Domin : De Sinesica, ne in foro ecclesiastico  
fidei naturalis quidem licita.
5. Lichtenstein, Jacob. Theodor : Observationes de jure Nidh-  
bilibico sarmico ex documentis Altmunkadrensis illustratae
- 5<sup>a</sup> Menckel, Godefrido Ludovico : De vera indole hibernarum  
obligationis et acceptationis non numeratae pecuniae.
6. Schubert, Carolus Fridericus : De minori obligatione
7. Schubert, Carolus Fridericus : De justitia transactionis  
testamenti nondum inspectis tabulis ob subleatam  
vicesimam hereditatem.
8. Topp, Joann. Casp. Sigismundo : De causis legis legali  
uxori Christianae marito bonis labenti nuptiae vel ante  
concessum creditum vel in qualibet ejus classe secun-  
dum jus commune competente.





9  
E. 26. num. 576

Q. D. E. V.  
D I A T R I B E N  
D E

1749, 8

22

**AVXILIO LEGALI**  
**VXORI CHRISTIANAE**  
MARITO BONIS LABENTI NVPTAE VEL ANTE  
CONCVRSVM CREDITORVM VEL IN QVALIBET EIVS  
CLASSE SECVNDVM IVS COMMVNE  
COMPETENTE

CONSENSV ORDINIS ICTORVM

HVIVSQVE

NVNC SPECTABILI DECANO

**DN. IO. GEORGIO PERTSCH**

ICTO, SEREN. DVC. BRVNSV. ET LVNEBVRG. CONSILIAR. AVLICO,

IYDIC. PROVINC. AVL. ADSESS. ORDIN. IN ALMA IVLIA

CAROLINA ANTECESS. ET FACVLT.

SENIORE

IN IVLEO MAIORI

A. D. XXX. MAII A. P. R. S. c. 1800 CC XXXVIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM

PRO RITE CAPESSENDIS SVMMIS IN VTROQVE

IVRE HONORIBVS

PVBLICO PLACIDOQVE EXAMINI

EXHIBET

P R A E S E S

**IOAN. CONRADVS SIGISMVNDVS TOPP**

SERENISS. DVC. BRVNSVIC. LVNEBVRG. A CONSILII

AVLICIS ET P. P. I. O.

R E S P O N D E N T E

**FRIDERICO Carstens**

WIZENDORFIO-LVNEBVRG.

HELMSTADI

LITTERIS P. D. SCHNORKII, ACAD. TYPOGR.



AVXILIO REGALI

VXOVI CHRISTIANO

MARINO VNS PATRI NOSTRO

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA

CLAYE BELVIDA



V I R O  
I L L V S T R I   C O N S V L T I S S I M O  
D O M I N O  
I O A N N .   G E O R G I O  
P E R T S C H

J . V . D .

O R D I N I S   I C T O R V M  
D E C A N O  
P R O M O T O R I   A C   A M I C O   S V O  
O P T I M O  
P L A G V L A S   H A S C E   S A C R A S  
E S S E   I V B E T

A V C T O R .

V. R. O.  
LETT. RI CONSULESSIMO  
DOMINO  
IOANN. GEORGIO  
PERTSCH

J. A. D.  
PROMOTORI AC AMICO P. O.  
SECRET.



QVOD SVMMVM DEI NVMEN  
BENE VERTAT!

## PROOEMIUM

REDDENS INSTITVTI RATIONEM.



ERENISSIMI ET CLE-  
MENTISSIMI PRIN-  
CIPIS vocatione & iussu in  
hoc illustre Musarum, littera-  
rum ac doctrinarum sacrarium

vocatus, vt iuris praecepta, quorum per  
XXVIII. annos in summo appellationum  
Tribunali Regio, quod CELLIS est, ab opti-

A

mis,

mis, maximeque spectabilibus Jctis cognitionem, colligendo eorum vota adquisivi, legum studiosis instillem, atque in facultate iuridica causis decidendis navem operam; ex more antiquo & laudabili mihi incumbere credo, specimen aliquod publicum ad amicam disputationem proponere, de cuius argumento cum diu dubitauerim, fuerimque variis negotiis, & domesticis, & officii, praepeditus; tandem de bonis vxorum marito ad inopiam prolabente, tam ante concursum, quam post illum rite constitutum, breuiter tamen agere apud animum constitui, & hoc quidem ob hasce rationes:

I. quod Jctum deceat exacta earum causarum scientia, quae eheu! fere cottidie occurrunt, magnamque publicae rei afferunt calamitatem.

II. quod hoc argumentum quandoque (a) variis va-

---

(a) Cuius rei exempla mox infra edentur, & in specie in Antonii a Mara tractatu subinde occurrunt, vbi frequenter videbis: errat HABERKORNIUS: errat CARPZOVIVS: errat COLLEGIVM ARGENTORATENSE: errat BASILIUS: errat KÖPPEN: errat MEVIVS &c.

riis variorum DD. opinionibus in vultum, quarum confutatio, nondum positis certis legum principiis, non taediosa solum, sed & ardua plurimis videatur, ita vt

III. optimi legislatores hac difficultate moti maius in hisce dirimendis caussis statuerint iudicibus ordinariis pro exantlato labore praemium (b)

III. quod licet decisio controuersiarum concursus tam intricata non sit, tamen, quia processus debet esse summarius, expediat hanc materiam quandoque distinctius considerare, atque altius ex LL. singulorum creditorum iura, & in praesenti vxorum, repetere, vt deinde in decidenda lite ocyus procedatur. Faciamus igitur ingressum precantes:

*Tu rege consiliis actus, pater optime, nostros,  
Nostrum opus vt laudi seruiat omne tuae.*

---

(b) De qua re conferri possunt variorum iudiciorum ordinationes, inter quas in Electoratu Brunsvico-Luneburgico eminet illa, quae a. d. XXIII. Aug. 1616CCXI. emanauit in fine p. m. 619.

§. I.

BREVIS DISSERTATIONIS  
DELINEATIO.

**A**dgredimur igitur DEO iuuante ipsum thema, vbi ante omnia termini in rubro comparentes explicandi sunt, & definiendi, atque postea de diuersis bonorum vxoriorum speciebus, horumque classificatione suo loco agendum erit.

§. II.

DE AVXILIO LEGALI

Hanc vocem AVXILII praecipue bellicam esse nos docet Varro de LL. & ab AVCTV deriuatum AVXILIVM BELLICVM, si accefferint, qui sint adiumento; interim tamen eius significatio latioremsensum consecuta, cum ad aegrotos, & quosuis alios, qui alterius ope indigent, translatum est auxilium, & sic a sagata militia ad togatam transit, quandoquidem de hoc auxilio loquuntur.

*l. 16. C. de sententiis & interlocutionibus omnium iudicum. (7-45) (c)*

*l. 7. C. de appellationibus & consultationibus. (7-62) (d)*

*l. 10.*

---

(c) non liceat partibus ante definitiuam sententiam ad appellationis siue recusationis venire auxilium.

(d) si appellationis auxilio non vtantur.



- l. 10. C. de pignor. & hypothec. (8-14) (e)  
 l. 2. C. unde legitimi & unde cognati. (6-15) (f)  
 l. 3. in fin. C. de infantibus expositis. (8-52) (g)  
 l. 22. pr. & §. 14. C. de iure deliberandi. (6-30) (h)  
 l. 2. C. de institutionibus & substitutionibus.  
 (6-25) (i)  
 l. Auxilium 37. ff. de minoribus XXV. annis. (k)

Nimirum nobis est AVXILIVM dispositio legum, vi cuius iudices succurrere debent opis indigentibus, & hac ratione simul patet, quod LEGALE nobis sit omne, quod legibus ciuilibus, sumta generali significatione, conforme est, siue legibus antiquis, siue aliis augmentis ortum debeat.

### §. III.

#### DE VXORIS ETYMO ET DEFINITIONE

A 3

Quando

- (e) persequenti tibi pignora seu hypothecas competentibus actionibus, rector provinciae auctoritatis suae auxilium impartiri non dubitabit.  
 (f) intelligis sine auxilio honorum possessionis eius te successionem vindicare non posse  
 (g) haec obseruantibus-officiis praefidalibus, & omni ciuili auxilio.  
 (h) l. cit. pr. ita enim nec satis necessarium deliberationis erit auxilium &c. & §. 14. si ad deliberationis auxilium conuolauerit.  
 (i) C. litioni, sub qua testamento matris tuae heres instituta es, si non paruisti: locum habet substitutio; nec extraordinario auxilio indiges &c.  
 (k) Auxilium in integrum restitutionis executionibus poenarum paratum non est.

Quando vero de vxore in fronte dissertationis fit mentio, merito de huius vocis etymologia & definitione quaeritur, de quarum prima *Faber* in thesauro ex *Plinio* refert, quod vxor sit quasi *Vnxor*, ab ungerendo dicta, quia, cum noua nupta ad limen mariti venisset, antequam ingrederetur, postes oleo inungebantur, & notemus ex ibi cit. *Isidoro*: vxorem dignitatis, non voluptatis nomen esse, ex quo prono fluit alueo, concubinas, pellices & ceteras huius sentinae mulierculas merito excludi ab omni legis auxilio vel beneficio. Ad secundam quaestionem de definitione sequentem addimus, quod vxor sit persona, ad indiuiduam vel indissolubilem vitae consuetudinem marito secundum leges ac ritus, cuiusque loci receptos, iuncta, quae ciuilibus nuptiarum effectis gaudeat.

§. IIII.

DE EFFECTIS VERI MATRIMONII

Hi effectus vero consistebant referente

*HEINECCIO* in *element. ff. P. IIII. §. 174.*

I. in arcta & indiuisa *convicta*

*l. 1. §. 15. ff. ad Sctum Silan.*

quia societas coniugalis commixta familia & vna domus est.

*l. 5. ff. de R. N.*

vbi deductione opus in mariti domum, quasi in domicilium matrimonii,

II. in

II. in vtriusque fortunae participatione

*l. 22. §. 7. sol. matrim.*

etenim fortuitis casibus & maritus & vxores sunt participes.

III. in communi bonorum vsu.

*l. 1. ff. rer. amot.*

quia societas quodammodo eam dominam facit.

III. consequitur vxor dignitatem mariti, atque domicilium mutat.

*l. 1. C. de dignitatibus (12-1)*

& quae sunt alia effecta, quorum recensionem hic exhibere nimis longum foret, quibus omnibus concubinarum vulgus destitutum est.

§. V.

DE ESSENTIA MATRIMONIALIS  
CONIUNCTIONIS.

Consistit enim essentia nexus matrimonialis in coniunctione indissolubili & indiuidua, quam solam probat optimus Seruator MATTHAEI *cap. XVIII. v. 4. 5. 6. & 8.* allegando primaeuam matrimonii institutionem. Et cum haec ita sint, Thomasi sententiam, quam in schediasmate de concubinaru §. 8. proposuit defendere non ausim, cum §. 14. ingenue fateatur, concubinam pro lubitu & sine vlla solemnitate potuisse dimitti, quod si saepius fiat, nescio sane an, & quomodo concubinatus differat a scortatione, quam ab Apostolo epist. I. ad Corinth. cap. VI. v. 15. & 16. vtpote prohibitam agnouit in not. sub litt. (c).

§. VI.

§. VI.

DE PROHIBITIONE CONCVBINATVS.

De cetero cum *reformationes politicae de annis 1530. tit. 33. 1548. tit. 25. & 1577. tit. 26.* concubinatum prohibuerint, & vagi amoris vsum interdixerint, omnibus magistratibus iniungendo, vt in temeratores fevere animaduertant, facile liquet, concubinas ab omni arceri iuris auxilio.

§. VII.

DE VXORE AD MORGANATICAM.

Alia & vtilior autem occasione II. Feud. 29. occurrit quaestio: Num foemina ad morganaticam accepta, iisdem gaudeat iuris auxiliis, quibus ceterae fruuntur vxores.

§. VIII.

QVALE CONIVGIUM AD MORGANATICAM.

De etymo Morganaticae in praesenti, cum incidenter huius fiat mentio, non erimus solliciti, sed ablegamus huius cupidum ad Glossarium du Fresne sub voce Morganegiba, Morgengeba, Morgangeba, Morgingap, Morgagita, Morgangiua, Morganaticum; item Joannis Georgii Wachteri sub voce Morganicum siue Morganaticum: nec non Gabriellis Schwederi positiones de matrimonio ad morganaticam, von der Vermählung zur linken Hand §. 3. hoc vnum postea monentes, nobis sermonem non esse de

de dono, quod post primam noctem nuptialem, quasi ob pretium virginittis a nouello marito datur, sed de matrimonio illo inaequali, indiffolubili tamen, quod a viro illustri ac nobili cum foemina fequioris conditionis fic ab initio contrahitur, vt vxor, accepto dono matutino, quod plerumque fecundum conuetudines Longobardicas quartam bonorum excedere non debet SCHWEDER §. 4. sese sustentet, nihilque amplius cum liberis nafcituris ex mariti bonis petere possit, quippe cum iis a dignitate & successione paterna, in fauorem liberorum prioris matrimonii exclusa.

Haec igitur coniunctio licet a plurimis Doctoribus iniusta & illegittima vocetur, ac conditio adiecta habeatur pro turpi, immo haec species inter monstra tradente SCHWEDERO citata *dissertatione* §. 7. referatur, verum tamen constituit, cum indiffolubilis sit, matrimonium, & sic vxor ad morganaticam, licet dignitate mariti ex conuentione destituta sit, ceteris iurium auxiliis legitimarum vxorum priuari non debet.

§. VIII.

QVAE SIT VXOR CHRISTIANA.

Exhibet deinde rubrum CHRISTIANAM VXOREM, & hoc quidem fit non sine sufficienti ratione. Christiana vxor autem nobis est, quae addicta sacris trium religionum, vel Catholicae, vel Augustanae confessionis, aut etiam sic dictae reformatae ecclesiae.

B

I. P. O.

*I. P. O. Artic. VII. §. I.*

ita vt recurſu ad *l. 8. C. de haereticis & Manichaeis* (1-5.) & ad quatuor conciliorum, Nicaeni, Conſtantinopolitani, Ephefini & Chalcedonenſis decreta non opus. Ceterae non gaudent iure praelationis, nec tacita hypotheca tam ratione dotis, quam paraphernalium.

*Nov. CVIII. praef. & cap. I.*

quemadmodum in cauſſa Judaeorum Behrens contra curatorem bonorum ſummi tribunalis Regii & Electoralis ſententia idem ſtatutum memini. Denique nec Chriſtiana dici meretur, quae ſplendidis veſtimentis, ludis & epulis, alioque luxuriae genere rem familiarem perdit, attenuatque. *BERLICH. P. I. concl. 65. n. 80. & ordinatio Electoratus Brunſwic. Luneb. de 26. Mart. 1726.*

§. X.

DE MARITO.

Progredimur ad *MARITVM* cuius definitionem, quia correlatorum facilis eſt intellectus, ſicco tranſimus pede, nihil monentes, niſi quod huius partes in hac indiffolubili coniunctione ſint potiores.

§. XI.

DE MARITO OBAERATO VEL AD INOPIAM  
VERGENTE ATQVE DE VXORIS SCIEN-  
TIA AERIS ALIENI.

Cum

Cum vero hic vel OBAERATVS sit ante matrimonium, vel auctoritate sua abutens facultatibus pendente labatur matrimonio, indignus flebili cessionis beneficio, si hoc culpa sua accidat; DD. circa vxorem eius distinguunt, an illa aeris alieni conscia ante matrimonium, quo casu indignam priuilegiis praelationis iudicant, inter quos est

RICHTER *tract. de iure & priuileg. creditorum*  
*cap. 3. sec. 1. n. 157. &*

BERLICH. *Part I. concl. 65. n. 81.*

qui magnum DD. globum recensent. At vero cum secundum GALLIVM *lib. 2. obseru. 84. n. 8.* ignorantia regulariter praesumatur, donec contrarium probetur, vix est, vt creditores talem scientiam aeris alieni probare possint, vt inde dolus specialis eruatur, qui nemini patrocinari debet.

## §. XII.

### DE AVXILIO ANTE CONCVRSVM.

Diximus porro in rubro *de auxilio legis*, quod succurrit vxoribus *ante concursum*, si mariti ad inopiam vergant, & omni attentione hic digna occurrit

*l. 29. C. de iure dotium (5-12)*

per quam Justinianus vxori auxilium praestat, vt subsistente adhuc matrimonio in possessione constituta, exceptionis praesidium habeat; sed & omnes res

suppositas a creditoribus posterioribus, vel aliis, qui potiora iura non habeant, vindicare queat. En magnum auxilium & praesidium praestans!

§. XIII.

DE CONCURSVS DEFINITIONE DISTINCTIONE, ATQVE IN SPECIE DE PASSIVO.

Explicato deinde concursu actionum, quod sit plurium actionum competentia, traditaque distinctione, actiuo scilicet & passiuo; illo, quo ex vna eademque causa vni eidemque plures actiones contra eundem competunt, qui vel electiuus, vel successiuus, vel cumulatiuus; nobis animus est de hoc, passiuo scilicet, *von dem* Crid-Processe, vbi plures actiones a diuersis ex separatis causis contra eundem mouentur, inquisitionem & peruestigationem iurium vxoris instituire.

§. XIII.

VNDE PASSIVVS DICATVR *der Crid-Process*, ATQVE DEBITOR CRIDARIVS.

Vocatur haec legitima disceptatio causarum controuerfarum, vti modo indicauius *der Crid-Process* / & quia a plerisque doctoribus etymologia huius vocis praetermissa, illam breuissime indicare lubet. Scilicet secundum *du Fresne in Glossario* sub voce



voce *Crida*, haec ita traditur: *Bannum & proclamatio, quae per praeconem fit, vocatur CRIDA, Italis Crida, Gallis Cry public, criée: & quia coorto concursu publica affiguntur proclamata & citationes editales facile patet, deriuari huius processus nomen a citatione publica, quandoque absentis Cridarii, creditorumque.*

*Add. Lexicon vniu. tom. 6. p. m. 1645.*

§. XV.

DE SENSU IVRIS COMMVNIS.

Denique adhuc praetie ex rubro repetendum, nos tantummodo agere de auxilio legali secundum IVS COMMVNE i. e. secundum IVSTINIANEVUM receptum, ita vt de iis, quae ex statutis locorum, & consuetudinibus, nisi sint hae vniuersales, & constitutionibus specialibus prouincialibus competunt, vel non competunt, in praesenti non simus solliciti.

§. XVI.

DE CONCURSVS VARIIS CLASSIBVS  
SECVNDVM DOCTRINAM  
DOCTORVM.

Exacta explicatione terminorum rubri & auxilio ante concursum vxori competente §. XII. explanato, iam ad ipsam materiam concursus progredimur, & cum constet, post ius separationis JCtorum doctrinam de classificatione creditorum non vbiq-

congruere, ita vt quidam, re ipsa parum differentes, creditorum ordines siue classes, tantummodo alia sectione vel distinctione vtentes, varie augeant quamlibet, minuantue: HEINECCIUS *in Elem. Part. 6. §. 262. Et seqq.* licet cuilibet creditori sius plerumque tribuatur locus, atque ordo; quidam vero ipsarum classium numerum augeant, quemadmodum ANTONIVS a MARA siue AELIAS SCHNEGAS *peculiari tract. vbi VIII.* constituit ordines: conferatur *Lib. II. tit. I. seqq.* necessarium erit breuibus indicare, nos ita argumentum distinguere, vt extra concursum quidam praeferantur iure separationis ordinario, de quibus leges sequentes agunt.

*l. 17. §. 1. ff. Et 8. C. depositi. (4-34)*

*l. 24. §. 2. ff. de rebus auctorit. iudic.*

*l. 8. ff. commodati.*

*l. 1. §. fin. ff. de precario.*

*l. 39. ff. locati.*

*l. 1. C. de iure fisci. (7-73)*

*§. fin. I. de obligationibus, quae ex delicto Et c.*

*l. si tutor. 2. ff. quando ex facto tutor. vel curator. minores agere vel conuen. Et c.*

quidam extraordinario siue praetorio, de qua materia conferendus integer titulus *ff. de separationibus.*

§. XVII.

§. XVII.

DE RECEPTO ORDINE CLASSIVM.

Verum enimvero cum in ipso concursu quinque a plurimis ordinentur classes, nos horum secuti sumus in nostro *indice iuris Tab. VIII.* systema, sic ut in *prima* creditores, qui singulare ius praelationis habent, occurrant; in *secunda* creditores hypothecarii, qui & priuilegio personali fruuntur; in *tertia* simplices hypothecarii, qui vel tacitam, vel expressam, & inter hos, qui vel publicam, vel quasi publicam, vel priuatam consecuti hypothecam; in *quarta* priuilegiarii; in *quinta* creditores simplices collocentur.

§. XVIII.

QVARE RESTRICTA ESSE DEBEAT  
HAEC MEDITATIO.

Non exigemus in praesenti singulorum creditorum iura cuiusque classis, quia hoc nimis longum foret, atque limites breuis excederet dissertationis; sed lectoris pace nos referimus ad *LAVTERBACHII collegium & compendium*; multo magis autem e re erit, ut bona vxorum distinctius peruestigemus.

§. XVIII.

RECENSIO BONORVM VXORIORVM.

Sunt vero sequentia 1) vel *dotalia*, (a) & haec vel 1) immobilia, vel 2) pecunia numerata; 3) vel pecu-

---

(a) ad sustinenda matrimonii onera marito allata,

pecunia ex fundo dotali comparata: 4) vel augmentum dotis, in quorum bonorum securitatem constituitur a marito donatio propter nuptias, ita ut 5) de hisce donatis propter nuptias etiam hac in dissertatione agendum sit. *Nou. 97. c. 6. II*) sunt eis & *paraphernalia* (b), quae rursus duplicis naturae, quorum quaedam simplicia, quaedam vero in dominium mariti translata, ita ut pro repetitione vel ius hypothecae constitutum, vel non constitutum. Sunt & ipsi III) *bona receptitia der Sparhaver* / (c) quae singulari iure non gaudent, nisi 1) marito credita pro repetitione hypotheca expressa constituta sit, aut 2) pecunia ad comparanda immobilia sit data.

§. XX.

DE FVNDO ET PECVNIA DOTALI

Prima species insigni fruitur iuris favore, quandoquidem vxor soluto matrimonio propter dominium naturale, nunc cum ciuili coniunctum, iure separationis immobilia vindicat.

*l. 1. C. de priu. fisci. (7-73)*

immò etiam constante matrimonio, marito ad inopiam vergente, rite agit

*l. 29. § 30. C. de iure dotium. (5-12)*

Propter

(b) quae praeter dotem illata.

(c) quorum proprietatem & administrationem consentiente marito vxor retinet.

Propter dotem in pecunia numerata consistentem, aut etiam ex fundo dotali, qui venditionis gratia aestimato traditus est, redactam pecuniam habet actionem ex stipulatu, hypotheca munitam

*l. un. C. de. R. V. A. (5-13.)*

& cum liberis iure praelationis ante OMNES anteriores creditores hypothecarios siue tacitam siue expressam hypothecam habentes, gaudet.

*l. 12. §. 1. C. qui potior. in pignore (8-18):*

*Nou. 97. c. 3.*

§. XXI.

QVAESTIO AN VXOR PRAEFERATUR CREDITORIBVS ANTERIORIBVS HYPOTHECAM EXPRESSAM HABENTIBVS, HVIVSQUE RATIONES DUBITANDI.

Equidem me non latet heic insurgere magnam DD. cohortem, qui hoc in tacitis hypothecis anterioribus quidem procedere affirmant, de expressis hypothecis exfertis autem negant verbis. Audiamus vnicum RICHTERVM *de iuribus & privilegiis creditorum C. III. n. 6. vsque 13.* Hic enim: *uxor*, inquit, *respectu dotis praerogatiuam habet, vt tam de IVRE CIVILI, quam Saxonico omnibus creditoribus anteriorem expressam hypothecam non habentibus praefertur*, aduocando in suas partes GOTHOFREDVM,  
C  
BAR-

BARTOLVM, IASONEM, DONELLVM, inuehendo etiam in cauffarum patronos & DD. qui nonnumquam fingulares, & in foro non receptas fententias tueantur, allegandoque RIPAM, GOMEZIVM, CORASIVM, GODEN, COELER, RAUCHBAR, KOEPEN, MOLLERVM, atque GAILIVM l. 2: *obferu. 25. n. 10.* dicentem: *uxorem non praeferri creditoribus antiquioribus expressam hypothecam habentibus, ac in fine concludentem: hanc opinionem iuri scripto, rationi & aequitati esse consentaneam, & secundum eam intrepide se iudicare velle, nec recordari, in Camera ab ea recessum fuisse.*

§. XXII.

DE PRAEIVDICIO AVCTORITATIS  
 QVANDOQVE VERITATI  
 NOXIO.

Ecquem non inuaderet maximus, conspecto agmine intrepide afferentium, timor? Quem non moueret persuasio tantorum virorum, vt in talem a Serenissimo Electore Saxoniae testatissimis verbis expressam discedat fententiam?

§. XXIII.

INTROITVS DISQVIVISIONIS PRAELIMINARIS  
 DE COLLOCATIONE TACITARVM HY-  
 POTHECARVM CONCVRRENTIVM  
 CVM EXPRESSIS.

Sed

Sed cum in foro non opinionibus DD. nec si de iure communi quaestio est, ex peculiaribus prouinciarum quarundam constitutionibus & statutis locorum haec decidenda sint, ac in primis opus, vt ordine procedat dissertatio; de loco competente tacitarum siue legalium hypothecarum firmiter statuere, & de harum qualitate, loco & praeferentia agere, & hoc eo magis necessarium esse videtur, quod in plerisque compendiis haec quaestio vel plane praetermissa, vel leuiter tantummodo tacta appareat, id quod JCtis notum, lytis & prolytis casu obueniens valde incommodum & cum angore animi coniunctum, dum, quo se vertant, nesciant, in vanum euoluentes optima iuris compendia. Conferantur LAVTERBACH. *in compendio* & Heineccii *elementa secundum ordinem ff. tit. qui potiores in pignore, & de rebus auctoritate iudicis possidendis.*

§. XXIII.

DVBI ALIA DE PRAEFERENTIA HYPOTHECAE LEGALIS SIVE TACITAE PRAE EXPRESSA PRIVATA.

Immo maior iis oboritur incertitudo, si thesin HEINECCII P. III. §. 33. nimis confidenter positam; quod nullum sit discrimen, tacitum sit pignus, an expressum animo secum volutant, & existat casus, vbi hypotheca legalis concurrat cum hypotheca expressa priuata, quoad constitutionem anteriore; nam ex

l. 2. C. de privilegio fisci (7-73.)

C 2

apertus

apertus est concursus tacitarum hypothecarum, proinde in illa de concursu tacitae cum expressa priuata nihil dispositum est.

§. XXV.

EXPRESSA LEGE DEFICIENTE EX LEGVM RATIONE DECISIO PETENDA, QVAE EXPONITVR.

Vt vero quam breuissime nostram exponamus sententiam, repetendum duco principium, quod expressa publica vel quasi publica ideo priuatae merito praefertur, quod haec propter periculum immutationis non tam secunda nitatur fide, quam illa, & ubi maior fides, ibi maior existimatio atque praefertentia.

§. XXVI.

APPLICATIO HVIVS RATIONIS AD HYPOTHECAS LEGALES.

Hoc vero posito atque probe pensitato, & cognito, nullam tacitam hypothecam dari, de cuius initio certa non adfit scientia, prono alueo fluit, hypothecis tacitis, cum expressis priuatis concurrentibus, indistincte praefertentiam deberi; cum publicis vel quasi publicis autem illas secundum ordinem temporis esse collocandas. Vnde, & quia ius, quod lex ipsa & auctor eius princeps tribuit, non minus publicum est, quam id, quod magistratus inferior, minister legis & principis, concedit

*Illustr.*



*Ill. D. a LEYSER iure meritoque in meditationibus ad ff. Spec. 226.*

*tacitum pignus iudiciali aequipollere statuit.*

§. XXVII.

ADVERSARIORVM CONTRADICTIO COMMONSTRATVR.

Hoc autem ex iuris communis ratione euicto, absque aperta contradictione perhiberi nequit, expressas hypothecas indistincte praeponendas esse tacitis, siue legalibus, quamuis constitutiones prouinciales aliter disponere possint, atque Principes Saxoniae forte antiqua opinione ducti, hoc ex competente legislatoria potestate liberrime statuerint: conf. §. XXI. XXII.

§. XXVIII.

ADVERSARIOS SIBI IPSIS CONTRADICERE LVCVLENTIVS EVINCITVR.

Et cum contrariam amplectentes sententiam ipsi tribuant creditori, ad aedium refectionem post coniugium pecuniam suppeditanti, praelationem respectu creditorum expressam hypothecam habentium, de quo vide sis

RICHTERVV *d. tract. cap. 3. Sect. 4. n. 7. 8. 9.*

certo certius est, hos sibi ipsis contrarios esse, dando expressis praeserentiam ante vxorem, quo ipso creditor ad refectionem aedium retruderetur post vxorem tertium in locum, qui tamen secundum illorum sententiam propriam primum obtinere debebat.

C 3

§. XXVIII.

§. XXVIII.

CONFIRMATIO SENTENTIAE  
NOSTRAE.

Stet igitur eo magis nostra sententia iuris communis, qua non admittitur, alia subnasceretur difficultas. Enimuero constat ex *l. 1. ff. in quibus causis pignus vel hypotheca tac. contr. creditorem*, qui ad restitutionem aedium pecuniam subministravit, tacitam habere hypothecam. Deinde testatissima in *l. 7. C. qui potiores in pign. res est*, eos, qui ita specialem hypothecam consecuti, omnibus anteferri creditoribus hypothecariis, expressam hypothecam habentibus, ita ut nullo modo haec difficultas de praelatione expressarum hypothecarum tolli queat. Enimuero *Nou. LXXXVII. c. 3.* apertissime sancitum, uxori posteriorem creditorem ad restitutionem aedium postponi debere, per verba: „*Volumus igitur secundum hoc, ut si quis domum renovasset, aut etiam agrum emisset, non possit talia privilegia mulieribus opponere: & porro: minui autem eis dotem nullo finimus modo. Sufficit enim, quod lucris cadant, si priora ante nuptiali donatione inveniuntur, & sufficiens quoddam extet eis hoc damnum: non etiam eas volumus, & circa ipsam dotem periculum sustinere.*“

§. XXX.

ADDITVR EX LEGIBVS ROMANIS RATIO  
POLITICA PRO THESI NOSTRA.

Tacea-

Taceamus in praesenti, aduerfariorum doctrinam per accidens quodammodo posse matrimonii congruis contrahendis esse impedimento, quae tamen fecundum

*l. 71. §. 1. & l. 79. §. 4. ff. de conditionibus & demonstrationibus*

non impediri, sed promoueri debent. Fingamus nunc patrem filiam elocaturum, iurisperitum adire, quaesitum, num dotem proco alias honeste se gerenti tuto soluere possit. Nonne hic stabilita tali thesi dubia iniiciet? quod expressae priuatae hypothecae late-  
re possint, & quod in dubio ab actu abstinendum. Nonne surgente maledicorum rumore, qui tum temporis non infrequens est, nuptiarum ritus sufflamabitur vel excludetur penitus, cum e contrario nostra sententia nullam nuptiis iniiciat remoram.

§. XXXI.

SENTENTIAE NOSTRAE ADSTIPVLANTES  
FAMIGERATISSIMI IURIS CONSULTI  
INDICANTVR.

Ceterum si libuerit nobis suffragantium numerum inire, hoc nimis longum foret; interim addas velim

BRUNNEMANN *de processu concursus. c. 5. §. 27.*  
CHEMNITIVM *in dissert. de iure praelationis creditor. num. 129.*

BER-

BERLICH p. I. *conclus.* 65. *num.* 6. & *sequ.*  
 MATTH. STEPHANI *ad Nou.* 97. c. 3. *num.*  
 22. & 23.

ANTONIVM A MÄRA *sive* ELIAM SCHNEE-  
 GASS *tr. de concursu creditorum in foro civili*  
*formando lib. 2. tit. 3. §. 15. vsque 22.*

qui, quo mentis acumine fuit praeditus, alios in demon-  
 strando optime vicit, ita VEBURCARDVS GOTT-  
 HELFF STRVVIVS, ADAMI filius, in STRVVI-  
*non errante §. 16.* eum refutare nequiverit, sed pa-  
 trem de communi testantem opinione excusauerit  
 tantummodo, ideo autem a IOANNE LONDAVIO  
*errore VIII.* reprehensus; & denique

III. FRID. ESAIAM PVENDORFIVM *tom. II.*  
*Obferu. CXXII.*

praxin theſeos noſtrae praeiudicio ſummi appell. tri-  
 bunalis firmantem. De augmento dotis conferas  
 quaefumus infra §. XXXXIII.

### §. XXXII.

QVID IVRIS, SI DOS PROMISSA NON STATIM  
 EXSOLVTA, ET QVINAM LOCVS IN  
 SECVNDA ASSIGNANDVS.

Et ſic praeclare actum cum vxoribus, quippe  
 quae ſecundum noſtram theſin ratione dotis numera-  
 tae in tam eximio collocantur loco: Immo praeclari-  
 us, quod non reſpiciatur ad tempus ſolutionis, ſed  
 promiſſionis:

*arg.*

arg. l. 1. ff. qui potiores in pignore. LAVTERBACH. in coll. ad tit. in quibus causis pignus vel hypotheca tac. §. 17.

Ast cum LAVTERBACHIVS ordinem secundae classis ita instruat, vt 1) locum occupet creditor ad militiam 2) vxor eiusque liberi quoad reperendam dotem in pecunia numerata consistentem 3) creditor ad reficiendas aedes ex legis dispositione, vel ex conuentione ad reparationem vel comparationem aliarum rerum 4) pupillus aut minor, cuius pecunia res comparata 5) fiscus in bonis post contractum a contrahente acquisitis; merito quaeritur, quomodo hi creditores inter se concurrant? & cit. LAVTERBACHIVS l. 42. tit. 5. §. 49., perbreuem addit decisionem, eos ex tempore esse collocandos, addita ratione, quod priuilegiatus contra aequae priuilegiatum non gaudeat priuilegio. Cum autem haec omnia maiori indigeant luce, singula specialius considerare non poenitebit.

§. XXXIII.

QVID DE CREDITORE AD MILITIAM  
STATVENDVM.

Etenim imbuimur in plerisque compendiis doctrina, quod creditori, qui ad militiam emendam pecuniam credidit, constituta expressa hypotheca, praeferentia prae vxore debeat. Sed nostra circa hanc doctrinam est sententia, quod quia Doctorum non  
D est,

est, leges ferre, nec priuilegia dare, hoc non procedat, nisi specialiter demonstratum sit, quid in proprio significato denotet *militia*.

Neque adprobamus horum extensionem, qui hocce priuilegium ad quaelibet officia, annua habentia salaria adplicare satagunt. Non entis enim nulla sunt praedicata, & licet verba *Nov. LXXXVII. cap. 4.* (a) in se clara sint, tantum abest, vt vox *militiae* recte explicata sit, ac idea distincta adpareat, vt omnia e contrario circa hanc spississimis sunt adhuc dum inuoluta tenebris.

§. XXXIII.

RECENSIO RELIQVORVM TEXTVVM  
IVRIS.

Leges de hac materia BARNABAS BRISSONIVS ad vocem *militia* congeffit quidem, & sunt sequentes:

*l. 22.*

---

(a) Quia vero & huiusmodi quaedam aditiones nobis factae sunt, eo quod quidam aliorum militant pecuniis, & oportet eos, qui in has crediderunt causas praeponi: sancimus, si quis crediderit aurum occasione *militiae*, siue statutum fieri, vel pro aliis quibusdam talibus causis: & expressim hoc ipsum scribatur in instrumento: & in hoc fiat pactum, vt casu proueniente prior sit solus, qui ad hoc credidit: huic soli casui cedere mulierem: neque facile credendum, neque per testes, sed negotio ex scripto gesto, & testium habente subscriptiones, & ipso opere procedente. Tunc enim, si per omnem huiusmodi viam causa procedat, suspicionem non habeat: & competit contrahentes propriis non priuari: aliis omnibus praevalere mulierem, secundum quod iam a nobis eis datum est priuilegium.

- l. 22. §. 1. ff. de legatis II. (b)*  
*l. 11. §. 16. ff. de legatis III. (c)*  
*l. 18. §. 2. ff. de alimentis vel cibariis. (d)*  
*l. 3. §. 7. ff. de minoribus. (e)*  
*l. 30. C. de inoffic. testamento. (3-28.) (f)*

D 2

l. 27

- (b) *l. 22.* Titius in testamento suo P. Maeuio militiam suam reliquit, siue pecuniam eius quaecumque redigi ex venditione eius poterit, cum suis commodis: sed cum superuixit testamento Titius militiam vendidit, & pretium exegit & dedit ei, cui illam militiam vel pretium eius testamento dari uoluerit &c. *l. 49.* cui tessera, vel militia legatur, aestimatio videtur legata.
- (c) Si seruo alieno militia relinquatur, an domino quaeratur legatum, quaeritur: & aut scit seruum esse, & dico aestimationem deberi: aut ignorauit, & denegari fideicommissi perfectio debet.
- (d) Ab heredibus Stichum manumitti uoluit, eique, si cum Seio moraretur, cibaria & vestiaria praestari a Seio: deinde haec uerba adiecit: Te autem, Sei, peto, ut cum ad annum 25. perueneris militiam ei compares: si tamen te ante non reliquerit. Quaesitum est -- an militia Sticho comparari debeat; & si placet deberi, utrum statim militia comparanda sit. &c.
- (e) Si minori legatum sit aliquid, quod personae eius adhaeret, puta ius militiae; dicendum est, posse eum in integrum restitui: interfuit enim eius non capi, cum hanc patri non adquireret, sed ipse haberet.
- (f) Imputari in legitimam & illa uolumus, quae occasione militiae ex pecuniis mortui iisdem personis adquisita, posse lucrari eas manifestum est: eo quod talis sit militia ut vendatur, vel mortuo militante certa pecunia ad eius heredes perueniat: ita tamen, ut ille gradus eiusdem militiae inspiciatur, quem in morte testatoris militans obtinet; ut tanta ei pecunia in legitimam portionem computetur, quantum dari constitutum est, si in eo gradu mortuus esset is, qui militiam ex pecuniis testato-

l. 27. C. de pignoribus. (8-14.) (g)

l. 6. §. 3. C. de advocatis diuerforum iud. (2-8) (h)

l. 20. pr. C. de collationibus. (6-20) (i)

Sed

flatoris adeptus est: exceptis folis viris spectabilibus Silentariis sacri nostri palatii, quibus praestita iam specialia beneficia, tam de aliis capitulis, quam de pecuniis super memorata militia a parentibus eorum datis, ne in legitimam portionem eis computentur, rata esse praecipimus. &c.

- (g) Si negotiatores post huiusmodi contractum liberis suis quamcumque militiam adquisierint (eam tamen, quae vendi vel ad heredes sub certa definitione transmitti potest) liceat creditoribus eorum etiam non probantibus ex pecuniis eorundem negotiatorum liberos eorum vel cognatos militasse, creditum ab his, qui militarint exigere, vel tantum eos efflagitare, quanti vendi eadem militia possit. Quod ita obtinere facimus, & si extraneis quibusdam idem negotiatores de suis pecuniis huiusmodi militiam adquisivisse probentur: ut quod generaliter in ipsis debitoribus militantibus talem militiam, quae vendi, vel ad heredes transmitti potest, permissum est, ut liceat creditoribus, & adhuc viventium debitorum iure hypothecae vindicare militias, nisi sibi satisfiat &c.
- (h) Licentiam patronis fisci facimus, binos homines singulis annis itidem offerendi, nostram adoraturis purpuram, statutis inferendos, praefentialibus domesticis, unum equitum, alterum scholae peditum, in vacantem eorum locum, qui diem sancti sunt: nullo dum supererunt, de militia venundanda pacto cum eis interposito, quorum eiusmodi conventiones interfunt &c.
- (i) Quod tam in aliis, quam in his, quae occasione militiae vni heredum ex defuncti pecuniis acquisitae lucratur is, qui militiam meruit, locum habebit: ut lucrum quod tempore mortis defuncti ad eum pervenire poterat, non solum testamento condito quartae parti ab intestato successionis computetur, sed etiam ab intestato conferatur.



Sed quia sagacissimus quisque antiquitatum Romanarum indagator, qualis HEINECCIUS, qui hanc militiam tamen intactam reliquit, ex iis non nisi obscuram formare poterit ideam, praecipue cum status illorum temporum sit nostro dissimillimus, tutius est, nihil de hac re affirmare, quam ad similia argumentum trahere, quod plerumque claudicat.

§. XXXV.

INCONSTANTIA IVRECONSVLTORVM CIRCA  
HANC QVAESTIONEM.

Hinc est, quod LAVTERBACH. *in coll. theor. pract. l. 42. tit. 5. §. 39.* sic titubanter ac inconstanter loquatur; Etenim extensionem DDrum privilegii militiae, qua illud ad officia publica, beneficia ecclesiastica, commendaturas, canonicatus, Doctoratum &c. adplicant, diserte reiicit, ac iuri inconuenientem asserit, quod privilegia non debeant excedere personam privilegiatam, nec propter rationis identitatem ultra casus expressos & constituentis voluntatem sint extendenda, quia potius in singulari principis voluntate, quam ratione consistunt. E contrario vero *in fine d. §.* in STRYKII & BRUNNEMANNI opinionem transit, concedendo argumentum non aliis dignitatibus adplicandum, nisi gaudeant annuis salariis vel certis redditibus: sicque quod altera aufert manu, donat altera.

§. XXXVI.

SENTENTIA HVBERI CVM EPICRISI  
NOSTRA.

Melius igitur sentit VLRICVS HVBERVS in  
*praelect. lib. XX. tit. 4. §. 10. in fine vbi: Verum, in-*  
*quit, iste locus de creditore militiae non habet usum his-*  
*ce temporibus, quia non habemus id genus militiae &c.*  
Cui sententiae & nos lubentissime subscribimus atque  
rationes nostras breuiter conglomeramus sequentem  
in modum. 1) quia vbi certum non adest subiectum,  
ibi adplicatio praedicati cessat. 2) quia priuilegia a  
voluntate solius principis legislatoria pollentis aucto-  
ritate dependent 3) quia Doctoribus facultas dene-  
gatur constitutiones tam generales, quam speciales,  
siue priuas aut priuilegia dandi. 4) quia, licet iis in-  
terpretatio concedenda, tamen illa restricta ad regu-  
lam, quod priuilegia ratione tertii strictissime inter-  
pretanda sint, & quia 5) in aprico positum, admissa  
semel propter ficulnea argumenta extensione, ius cre-  
ditorum anteriorum summa cum iniuria laedi, 6)  
quia tale instrumentum, quale Nou. LXXXXVII.  
c. 4. requirit, oculis nondum occurrit nostris, licet  
per tricennium in foro versatis.

§. XXXVII.

DE CONCVRSV CAVSSAE DOTIS IN SECVNDA  
CLASSE CVM CETERIS CAVSIIS HYPOTHE-  
CARIIS PRIVILEGIO MVNITIS.

Perfos.

Perfossis ita fundamentis, quibus militia illa ac incerta doctrina fulciebatur, nunc de alia praelatione ante causam dotis, in plerisque institutionibus praetermissa, cuius mentionem iam iniecimus §. XXXII. agendum. Et quidem talis est *fiscus*, non solum propter debitum primipilare, onera, tributa, & collectas: nam horum causa merito ad primam classem, scilicet creditorum singulare ius praelationis habentium refertur, atque hac ratione vxores christianas praecedit, & quod cum illa concurrere nequeat in aperto est. Sed *fiscus*, si cum marito ante coniugium contraxit, ratione temporis eius vxori praefertur. *l. 2. C. de priuilegio fisci*, (7-73.) per verba: *quamuis ex causa dotis vir quondam tuus tibi sit condemnatus: tamen si priusquam res eius tibi obligarentur, cum fisco contraxit, ius fisci causam tuam praue nit. Quod si post bonorum obligationem rationibus meis coepit esse obligatus, in eius bona cessat priuilegium.*

§. XXXVIII.

NOTATUR PERSPICACISSIMI HEINECCII  
ERROR.

Quemadmodum igitur ex adducta lege iam adparet, *fiscum*, qui quinto loco positus, vxori antecedere posse, si scilicet maritum ante matrimonium iam obligatum habuerat; sic *LAVTERBACHIVS* licet hunc textum non allegauerit, recte tamen in *coll. lib. 42. tit. 5. §. 49.* statuit creditores huius classis ratione temporis collocandos esse, ita vt prior tempore, potior

tior quoque fit iure *l. 2. §. 8. C. qui potiores in pignore* (8-18.) id quod etiam ex hac confit ratione, quod priuilegiatus contra æque priuilegiatum non vitur iure suo *l. ii. §. pen. ff. de minor.* & sane mirum has leges solertissimi alias HEINECCI I oculos effugisse. Hic enim in *elementis secund. ord. ff. part. 6. §. 263.* classem creditorum secundam aliter, & in sequentem modum formans vt 1) loco fiscum ratione debiti primipilaris 2) propter tributa 3) creditorem ad militiam 4) vxorem liberosque eius, deinde 5) creditorem ad refectionem aedium 6) creditorem nauis vel alterius rei, constituta nempe hypotheca 7) pupillos quorum pecunia res emta 8) redemptorem ab hostibus 9) fiscum, cui quid ex contractu debetur 10) dominum soli ratione solarium ponat: in nota subiecta addit, quod in hac sua classe quatuor priores omnibus praeferantur, & sequentes collocentur pro ratione temporis, id quod quoad fiscum ex contractu agentem, & cum vxore concurrentem iuxta *all. l. 2. C. de priuilegiis fisci* tamen emendandum.

§. XXXVIII.

QVID IURIS, SI MARITVS PECVNIA DOTALI  
FVNDVM COMPARAVERIT.

Sed progrediamur circa pecuniam dotalem ad alium casum, scilicet quid iuris sit, si vxor illam marito dederit, & hic fundum comparauerit: an hoc casu vxor vtatur iure separationis, quod affirmare haud dubitamus, moti verbis *l. 12. C. qui potiores in pignore* (8-18.) *licet res dotales vel ex his aliae comparatae*

ratae non exstent, scilicet tum competit hypotheca tantum priuilegiata, cum e contrario si comparatae adhuc exstent, iam tuta esset vxor per vtilem R. V. Quod superuacuum fuisset Imperatori distinguere inter exstantes & consumptas res comparatas, si vtroque casu vxor tantummodo iure praesolationis gaudeat. Sed diserte hoc negat *l. ex pecunia 12. C. de iure dot. (5-12.)* (k) contra *l. res quae ex dotali pecunia 54. ff. de iure dot.* (l) hoc liquido affirmare videtur, ita vt operae pretium sit has leges, quae primo obtuta obstantes videntur, conciliare.

§. XXXX.

INGRESSVS AD CONCILIATIONEM DICTARVM LEGVM, PETENDO ARGVMENTVM A PECVNIA PARAPHERNALI.

Ante omnia hic repetendus fauor, quo legislator sexum sequiorem profecutus, ita vt ex paraphernalibus pecuniis marito donatis, vxori detur actio in rem vtilis in ipsam rem. *l. 55. ff. de donationibus inter*

(k) Ex pecunia dotali fundus a marito tuo comparatus, non tibi quaeritur, cum neque maritus vxori actionem emti possit acquirere: at dotis tantum actio tibi competit. Vnde aditus Praefes prouinciae, si non te transegisse repererit, sed ex maiore parte dotem consecutam, residuum restitui providebit.

(l) Res, quae ex dotali pecunia comparatae sunt, dotales esse videntur.

ter virum & uxorem. (m) i. e. utilis reuindicatio.  
BRVNEMANN. in comment. ad ff. ad hanc legem.

§. XXXXI.

CONTINVATIO, PETITA EX MAIORI FAVO-  
RE DOTIS, QVAM PARAPHERNALIVM AD-  
DITA EXPOSITIONE NOSTRAE  
SENTENTIAE.

Nunc vero in iure testatissima res est, causam dotis praeualere paraphernalibus, & sic pecuniis dotalibus nequit non tribui quod paraphernalibus datum, ita vt legem 12. C. de iure dot. ita explicemus necesse est, quod scilicet creditores mariti insituerint, vt vxor fundum carius emptum, loco pecuniae dotalis recipiat, licet hac ratione insigniter laedatur, quapropter Imperatores *Diocletianus* & *Maximianus* rescripserunt, si mulier non transegerit (scilicet vt autumo

---

(m) Vxor marito suo pecuniam donauit: maritus ex pecunia sibi donata aut mobilem aut soli rem comparauit: soluendo non est, & res extant. Quaero, si mulier reuocet donationem, an vtiliter condictionis experiatur: videtur enim maritus, quamuis soluendo non sit, ex donatione locupletior effectus, cum pecunia mulieris res comparata extet? Respondi, locupletio-rem esse ex donatione, negari non potest: non enim quaerimus, quid deducto aere alieno liberum habeat, sed quid ex re mulieris possideat. Solo enim hic separatur ab eo, cui res donata est, quod ibi res mulieris permanet, & vindicare directo potest: & erit deterior causa viri, si ei pecunia, quatenus res valet, non ultra id tamen, quod donatum est, condicatur, quam si dotis iudicio conueniatur. Sed nihil prohibet, etiam in rem vtilem mulieri in ipsas res accommodare.

autumo cum curatore bonorum vel creditoribus) eam ex maiore parte dotem consecutam, Praesidem adire posse, qui providere debeat, ut restituatur residuum, quibus ita positus omnis euanescit antinomia, quae reuera non adest, atque uxori liberum erit, vel rei per reiuindicationem vtilem incumbere, vel dotis nomine agere.

§. XXXXII.

DE PECVNIA EX FVNDQ DOTALI COACTA  
REMISSIVE.

III. De pecunia ex fundo dotali aestimato & venditionis causa dato, redacta vide PEREZIVM in *Cod. l. 5. t. 12. §. 6. & 7.* Scilicet cum maritus ita plenum & absolutum consequatur dominium, soluto matrimonio vxor praeter actionem ex stipulatu cum hypotheca priuilegiata coniunctam, nullam specialem habebit, nisi aliter conuentum, vel pecunia ex fundo dotali comparata, rursus sit erogata in coemtione aliorum praediorum; vbi ea quae §. XXXVIII. XXXXI. proposita locum habebunt.

§. XXXXIII.

DE DOTIS AVGMENTO.

Ceterum IIII. augmentum dotis eodem gaudet praelationis iure ac ipsa dos, modo non tendat in fraudem ceterorum creditorum: *Nov. LXXXXVII.*

c. 2. (n) Scilicet circa hoc distinguendum, an maritus iam alios habeat creditores, necne? Sin prius, sine fraudis suspicione fieri potest augmentum: sin vero posterius, & maritus iam aere alieno grauatus, tantum in praediis seu rebus immobilibus fieri potest. MATTHIAE STEPHANI *comm. in dict. Nou. c. 11. n. 18. 19. 20.* nam limitatio, quae ibi ex *Campeg. de dot.* affertur, vix locum habere potest in rebus mobilibus, in fungibilibus numquam: quare hoc casu deficit priuilegium praelationis, & tantum ex temporis praerogatiua collocari debet.

§. XXXXIII.

DE DVARVM DOTIVM PRAELATIONE.

Si maritus ad secunda vota migrauerit *ex l. asfiduis 12. C. qui potiores in pignore (8-18)* decisio clara, per verba; *duabus enim dotibus ab eadem substantia debitis, ex tempore praerogatiuam manere volumus.*

§. XXXXV.

DE LOCO DONATIONIS PROPTER  
NUPTIAS.

Quia §. XVII. promissimus occasione dotis V. de donatione propter nuptias agere, merito heic tractanda

---

(n) Mulierem omnino per immobiles res celebrare augmentum, vt & dos & augmentum similiter habeat aduersus antiquiores creditores priuilegium, vndique indubitato augmento existente: vir autem etiam in rebus mobilibus faciat augmentum: nulla enim hinc orietur laesio &c.



Etanda quaestio, quo loco vxor ratione huius in concursu collocanda sit? Et res est expedita per *l. 29. C. de iure dotium* (5-12) (o) *l. 12. §. 2. C. qui potiores in pign.* (8-18) (p). *l. 13. C. de donationibus ante nuptias* (5-3) (q) *Nov. CVIII. c. 1.* (r) scilicet mulierem habere tacitam hypothecam, & inter hypothecarios collocandam, ita vt praeferatur tantummodo posterioribus creditoribus. Addatur *Illustr. Dominus AVGVSTINVS A LEYSER meditat. ad ff. specim. CCXXVI. med. 7. & 8.* vbi BACHOVIVM de pignoribus non sine ratione naturali hoc negantem propter apertam LL. dispositionem refutat.

## §. XXXXVI.

DE NATVRA DONATIONIS PROPTER  
NVPTIAS.

E 3

Cete-

- 
- (o) Vbi adhuc matrimonio constituto maritus ad inopiam sit deductus, & mulier sibi prospicere velit, resque sibi suppositas pro dote & ante nuptias donatione, rebusque extra dotem constitutis tenere &c.
- (p) Ante nuptias donationem suo tempore seruire disponimus & habere inter creditores sui temporis ordinem. Non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur curamus.
- (q) De rebus in sponsam donationis gratia collatis, creditores mariti facti, si non prius obligatas eas sibi probent, eam conuenire minime possunt.
- (r) Dedimus privilegium mulieribus dotium, vt etiam prioribus creditoribus praeponantur, & meliorem eas ordinem habere, & nec a tempore superatas: in donationibus autem propter nuptias secundum tempora, per quae fiunt, hypothecas habere.

Ceterum hic non erit locus argumentum BACHOVII, quod scilicet vxor de lucro captando, creditores vero de damno vitando certent, fufius reffellere, quia vxor regulariter de donatione propter nuptias nihil lucratur. LAVTERBACH. in commentatione de donatione propter nuptias §. 59. & ab eo allegatus ERN. COTHMANN Resp. 48. n. 33. & seq. qui recte ob argumentum l. un. §. 6. C. de R. V. A. & c. f. X. de donat. inter virum & uxorem, ita sentit. Haec, inquit, donatio per se & quoad originem, atque etiam iuris communis dispositionem, non est titulus lucratiuus, sed tantum titulus dotis conseruatiuus, ideoque etiam res propter dotem vel propter nuptias data, matrimonio soluto instar dotis expirat, & ad donantem redit, si scilicet dos exsoluatur vel alioqui in tuto sit c. f. X. de donation. inter virum & uxorem, cuius verba finalia hic recensere libet, & sunt sequentia: Sane soluto matrimonio sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias ad virum redit, nisi de consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote & donatione propter nuptias, quod aequale sit tamen, hinc inde contrarium inducatur.

§. XXXXVII.

DE DOTALITIO.

De dotalio vom Leibgedinge / Wittthum / quod est vfructus quidam, a marito vxori suae in compensationem dotis acceptae, post mortem suam in bonis suis constitutus, dubitari nequit, quod, quia hoc

hoc dotem absorbet, inque eius locum surrogatum,  
dotis quoque privilegio munitum esse debeat. LAV-  
TERBACH. *in colleg. theor. pract. lib. 23. tit. 3. §. 5.*

§. XXXXVIII.

DE DIFFERENTIA DONATIONIS PRO-  
PTER NUPTIAS ET DOTA-  
LITII.

Facile hoc distinguitur a donatione propter nu-  
ptias: haec enim a viuo marito constituitur, & utpo-  
te §. *praecedente* vidimus, post mortem eius regula-  
riter non debetur, sed ad heredes ipsius reuertitur;  
dotalitium vero etiam post mortem mariti constitui-  
tur. Decisiones quaestionum de hoc sunt difficiles,  
& controuersiae ex aequitate magis iudicandae sunt,  
multumque auctoritati & testimonio Iurorum de usu  
recepto tribuendum. Interim electioni viduae nobi-  
lis relinquendum: an dotalitio frui, vel portionem  
statutariam habere malit, quae electio cuius senten-  
tiae tacite inest. III. D. a LEYSER *Spec. CCCXVII.*  
*med. 9. & 10.* Quomodo autem constituatur *Specim.*  
*DCLXIII. med. 14.* tradit.

§. XXXXVIII.

DE BONIS PARAPHERNALIBVS  
VXORVM.

SECUNDAM speciem bonorum vxoriorum  
constituunt *paraphernalia*, quorum duplex est distin-  
ctio, licet huius effectus, quantum memini, in pleris-  
que

que compendiis vel raro, vel plane non obuius. Sunt enim quaedam *late* vel *simpliciter talia*, quorum administrator legitimus est maritus, cuiusque ideo bona hypotheca tacita sunt affecta. *l. 11. C. de pactis conuentis* (5-14) (s). Alia vero paraphernalia *stricte talia*, immo *strictissime talia* dicuntur; si nempe in dominium mariti translata. *l. 9. §. 3. ff. de iure dotium.* (t).

§. L.

- (s) Si mulier marito suo nomina (i. e. foeneratitias cautiones) quae extra dotem sunt, dederit, vt loco paraphernorum apud maritum maneant, & hoc dotali instrumento fuerit adscriptum - - sancimus actiones quidem omnino apud vxorem manere, licentiam autem marito dari, easdem actiones mouere apud competentes iudices, nulla ratihabitione ab eo exigenda, & vsuras quidem eorum circa se & vxorem expendere; pecunias autem sortis, quas exegerit, seruare mulieri &c. Sin autem minime hoc scriptum inueniatur, ex praesenti nostra lege habeat tacitam hypothecam contra res mariti, ex quo pecunias ille exegit &c.
- (t) Ceterum si res dentur in ea, quae Graeci parapherna dicunt, quaeque Galli peculium appellant, videamus, an statim efficiantur mariti. Et putem si sic dentur, vt fiant, effici mariti, & cum distractum fuerit matrimonium non *vindicari* oportet; sed *condici*, nec dotis actione peti. Plane si rerum libellus marito detur, vt Romae vulgo fieri videmus; nam mulier res, quas solet in vsu habere in domo mariti, neque in dotem dat, in libellum solet conferre, eunque libellum marito offerre, vt is subscribat, quasi res acceperit. - - Hae res an mariti fiant, videamus. Et non puto; non quod ei non traduntur - - sed quia non puto hoc agi inter vicum & vxorem, vt dominium ad eum transferatur. &c.

§. L.

DE PRIORI PARAPHERNALIVM  
SPECIE.

Illā paraphernalia possunt esse corporalia vel incorporalia; deinde existentia vel non existentia. Existētia vxor vindicat, & iure separationis vitur. *l. 1. C. de iure fisci (7-73)*. (u) *l. 54. ff. (x) & l. 30. C. de iure dotium (5-12)* (y) *l. 2. C. ne vxor pro marito (4-12)* (z). Propter non existentia cessante priuilegio agit hypothecaria, & collocatur inter hypothecarios simplices secundum ordinem temporis. *cit. l. 11. C. de pactis conuentis (5-14)*.

§. LI.

DE POSTERIORI PARAPHERNALIVM  
SPECIE.

F

Verum

- 
- (u) Res, quas tuas esse liquido probaueris, ab aliis separatae tibi restituantur.
- (x) Res, quae ex pecunia dotali comparatae sunt, dotalēs esse videntur.
- (y) In rebus dotalibus siue mobilibus, siue immobilibus seu se mouentibus, si tamen extant, siue aestimatae siue inaeestimatae sint, mulierem in his vindicandis omnem habere post dissolutum matrimonium praerogatiuam iubemus, & neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiorem causam in his per hypothecam vindicare, cum eadem res & ab initio vxoris fuerint, & naturaliter in eius permanferint dominio &c. per vtramque viam, siue in rem, siue hypothecariam, ei plenissime consulatur.
- (z) Ob maritorum culpam vxores inquietari leges vetant. Proinde Rationalis noster si res, quae a fisco occupatae sunt, dotinū tui esse probaueris, ius publicum sequetur.

Verum enimvero posterioris generis paraphernalia, scilicet in dominium mariti translata, quod attinget, in his duplex observatio. Nam secundum all. l. 9. §. 3. ff. de iure dotium: si ita dentur, ut fiant mariti, efficiuntur mariti: cuius asserti confectarium statim additur; & cum distractum matrimonium non vindicari oportet, sed condici (i. e. personali actione peti debent) nec dotis actione (i. e. hypothecaria) peti. Exque eo porro conficitur, vxorem si de hypotheca expressa sibi propter haec translata non prospexerit, inter creditores simplices quintae classis ablegandam, de cuius effectu, quantum memini, in plerisque compendiis alium est silentium, licet exsertis verbis legis fit proditus.

§. LII.

BONA RECEPITIA VNDE DICANTVR ET QVAE SINT.

Nunc demum ad RECEPITIA VXORVM BONA, zu dem Sparhafen oder Spill-Geldern / conuertenda nostra meditatio, & quoad etymologiam vocis Dominus a LEYSER medit. ad ff. Spec. 302. m. 17. ex Gell. Noct. Attic. claram nobis tradidit deriuationem, cum recipere, excipere, retinere & reseruare sibi eundem inuoluat sensum. Vbi etiam addit sequentem definitionem, quod sint bona, quorum proprietatem & vsumfructum vxor sibi expressè reseruat.

§. LIII.

VLTERIOR EORVM DISQVISITIO EX SENTENTIA LEYSERI.

Com-

Commonstrauerat iam antea c. l. med. 2. paraphernalia secundum Ius Romanum in pleno vxoris fuisse dominio, perfecteque de iis disposuisse eam, ac maritum, ne administrationem suscipiat prohibere potuisse, secundum l. 8. C. de pactis conuentis (5-14.) (a). Deinde ex l. 97. ff. ad L. Falcidiam ostendit, maritum quoque ad rationes obligatum fuisse reddendas, id quod etiam, si administratio ab vxore mandata marito, omni dubitatione caret. Sed bona cum pace *illustr. auctoris* in eo tantum ab eo recedere liceat, quod l. f. C. de pactis conuentis pro sua sententia, de rationibus a marito reddendis, omnibusque, quae marito obuenerunt, restituendis, adduci non possit. Nam licet de forte hoc affirmari debeat, de vsuris tamen ipsa lege loquente asseri nequit, siquidem marito expresse licentia data, *vsuras eorum nominum circa se & vxorem expendere*, quod ipsi, si nudus esset mandatarius vel administrator non liceret. En igitur tertiam speciem paraphernalium conformem moribus Germanorum.

§. LIIII.

QVID MORIBVS GERMANORVM OBTINEAT.

Ceterum vtique testatissima in Germania res est, quam *illustr. auctor* l. c. ex *speculo Saxonico*, *Schiltero*, deinde *med. 10-13. it. 18. & 19. ex Brunnemanno & Schoe-*

F 2

(a) Decernimus, vt vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Graeci parapherna dicunt, nullam vxore prohibente habeat communionem, nec aliquam ei necessitatem imponat - nullo modo, muliere prohibente, virum in paraphernis se volumus immiscere.

Et Schoepfero affert, scilicet maritum vsumfructum bonorum paraphernalium ex vniuersali Germaniæ consuetudine habere; bonorum administrationem paraphernalium omnem vxori sine mariti consensu esse ademtam: ad receptitiorum constitutionem vtriusque coniugis vel expressum, vel facto declaratum requiri consensum, & vxorem invito marito bona sibi delata receptitiis adnumerare non posse.

## §. LV.

AD QVAM CLASSEM VXOR RATIONE RECEPTITORVM REFERENDA.

Facta igitur in pactis dotalibus reseruatione bonorum receptitorum, vxor & proprietatem, & administrationem & omnes fructus, omniaque commoda retinet: E contra vero nullo gaudet beneficio legum respectu mariti: LAVTERBACH *in coll. lib. 23. tit. 3. §. 49.* & si marito de hisce bonis det mutuum, sub nudo chirographo, coorto concursu ad *quintam* redigitur classem inter creditores simplices; & sic iudicatum in summo regio Tribunali, quod Cellis est, in causa Schier contra Nötting.

## §. LVI.

AN POSSIT VXOR RATIONE RECEPTITORVM IN PRIORES CLASSES PROVEHI.

Ast videamus coronidis loco, an non etiam possit vxor quandoque in aliam ascendere classem? Quod quidem tum procedere videtur, quum ex receptitiis pecuniam obfignatam, vsum non concedens, apud mari-



maritum deposuerit, quam postea maritus consum-  
ferit: tunc enim ad III. classem prouehitur. *arg. l. 24.*  
*§. 2. ff. de rebus auctoritate iudicis* (b) Quamquam e-  
nim ANTONIVS A MARA a mensulariis non proce-  
dere ad alios depositarios argumentum contendat,  
maxime tamen nos mouerunt verba *c. l. aliud est* cre-  
dere, *aliud deponere*. Nec tamen accedere possu-  
mus sententiae, in qua multi sunt Doctorum, scilicet  
mutuum gratuitum hoc loco collocandum esse. Si e-  
nim nec statuta, nec indubitati mores, nec constitu-  
tiones vt in Electoratu Saxoniae, in Ducatibus Mag-  
deburgico & Gothano, Marchionatu Lusariae & vrbe  
Lubeca adsunt, stet modo adductum principium; *ali-  
ud est credere, aliud deponere*. Certe ad III. classem ad-  
furgit vxor, si mutuum dando hypothecam expresse  
sibi constitui curauerit; tunc enim nihil est, quod i-  
psam reliquis inferiorem reddat hypothecariis. Nec  
minus per Nou. LXXXXVII. c. 2. constat, dotem ex  
receptitiis constante matrimonio posse augeri, modo  
hoc fiat sine circumuentionis suspitione, nec iam  
existentibus mariti creditoribus; cuius augmenti rati-  
one, quod, si indubitatum est, aequo ac ipsa dos  
uitur priuilegio, vxor in II. classem foret promo-  
uenda, vt §. XXXXIII. euietum. Tandem ad I. ad-  
furgit, fisco pro marito reliqua soluens, sibi que in  
solutione ius fisci a competente iudice cedi curans,

G

per

(b) In bonis mensularii vendentis, post priuilegia potiore[m] eo-  
rum causam esse placuit, qui pecuniam apud mensam, fidem  
publicam secuti, deposuerunt & merito; aliud est enim crede-  
re, aliud deponere.

per *l. 3. (c) & l. f. C. de priuil. fisci (7-73.)* (d). Sed quaeritur: an etiam citra hanc cessionem in fisci locum possit succedere? Quod quidem ex generali *l. 24. §. 3. ff. de rebus auctor. iud. poss. (e) & l. 1. C. de his qui in priorum creditorum (8-19.)* (f) immo ex ipsa naturali aequitate affirmandum videtur. Verum cum speciales & nimis clari sint textus adductae *l. 3. & f. C. de priu. fisci* cum illustr. *Dno. LEYSERO Spec. 482. med. 7.* hoc adserere non audemus.

§. LVII.

AN SVMTVS FVNEBRES ET IN CONCVRSVM  
FACTOS REPETERE POSSIT  
VXOR.

Denique breuiter videamus, quid de sumtibus, quos in funus & concursum forte impenderit vxor, statuendum? Quorum quidem prius quod attinet, ex nostra

- 
- (c) Si, cum pro marito solueres, neque ius fisci in te transferri impetrauisti, neque pignoris causa domum, vel aliud quid ab eo accepisti, habes personalem actionem-debitorem tuum pro pecunia, quam pro eo fisco soluisti, more solito conuenire non prohiberis.
- (d) Si in te ius fisci, cum reliqua solueres debitoris, pro quo satisfaciebas, tibi competens index adscriptit & transfuit: ab his creditoribus, quibus fiscus potior habetur, res, quas eo nomine tenes, non possunt inquietari.
- (e) Eorum prior est ratio creditorum, quorum pecunia ad creditores priuilegiarios peruenit. &c.
- (f) Non omnino succedunt in locum hypothecarii creditoris hi, quorum pecunia ad creditorem transit: Hoc enim tunc obseruatur, cum is, qui pecuniam postea dat, sub hoc pacto credat, vt idem pignus ei obligetur & in locum eius succedat.

nostra sententia sumtus funebres utique statim ante omnia repetere potest. Non enim nisi in subsidium & ne insepultus relinquatur maritus ad eum sepeliendum tenetur vxor, arg. l. 28. ff. de religiosis (g). Si igitur maritus adhuc bona, licet aere alieno obruta, relinquat, ex his impensae funerariae, ante ipsum aes alienum deducendae, fieri poterunt, quod de vxore quidem in l. 26. ff. d. t. (h) conceptis verbis dispositum, nec minus de marito, tanquam correlato valere debet. Propter §. 7. l. 14. ff. d. t. (i) tamen tutius aget vxor, si de repetitione sumtuuum funebrium expresse protestetur. Ad alterum quod attinet, scilicet impensas in confectionem inuentarii, conseruationem rerum ad concursum spectantium, factas, vel quouis alio modo ad communem creditorum vtilitatem tendentes; & aequissimum est, & iuri nostro consentaneum, talia expensa vxori cum praesentissimo auxilio

- 
- (g) Si (mulier) neque heredes habeat, neque pater soluendo sit, maritum in quantum facere potest, pro hoc conueniri; ne iniuria eius videretur, quondam vxorem eius insepultam relinqui.
- (h) Si in dote centum sint, in hereditate ducenta, duas partes heres (si mulier funeranda) vnam vir conferet, non deductis legatis, nec aere alieno deducto.
- (i) Interdum is, qui sumtum in funus fecit, sumtum non recipit, si pietatis gratia fecit, non hoc animo, quasi recepturus. Potest tamen distingui & misericordiae modus, ut in hoc fuerit misericors, vel pius, qui funeravit, ut eum sepeliret, ne insepultus iaceret, non etiam, ut suo sumtu fecerit: quod si iudici liqueat non debet eum, qui conuenitur, absolvere; quis enim sine pietatis intentione alienum cadaver funerat? oportebit igitur testari, quem, quo animo funerat: ne postea patiatur quaestionem.

xilio ante omnia restitui, etiamsi ipsa postea inter creditores reperiatur, itaque & sibi prospexerit, vt latus excusserunt, ad quos breuitatis causa nos referimus, MEVIUS P. II. dec. 269. III. D. a LEYSER Spec. 481. med. 6. 7.

§. LVIII.

QUANDO VXOR RATIONE RECEPITORVM  
AD IVS SEPARATIONIS ADSPIRARE  
POSSIT.

Tandem vxor ratione receptorum etiam iure separationis vri potest, non solum si pecunia receptitia res extantes adquisierit, sed & propter pecuniam numeratam apud maritum depositam non consumptam, sed in crumena, cui sigillum illaesum impositum, existentem l. 24. §. 1. ff. de rebus auctoritate iudicis possid: per verba VLPIANI expressa: Si tamen numeri exstent, vindicari eos puto a depositariis: & futurum eum, qui vindicat, ante privilegia.







Helmstedt, Diss., 1748-49


ULB Halle  
005 350 832

3









9

E. 26. num. 576

1749, 8

22

Q. D. B. V.  
DIATRIBEN  
DE

AVXILIO LEGALI  
VXORI CHRISTIANAE  
MARITO BONIS LABENTI NVPTAE VEL ANTE  
CONCVRSVM CREDITORVM VEL IN QVALIBET EIVS  
CLASSE SECVNDVM IVS COMMVNE  
COMPETENTE

P. 420.

CONSENSV ORDINIS ICTORVM  
HVIVSQVE  
NVNC SPECTABILI DECANO  
DN. IO. GEORGIO PERTSCH  
ICTO, SEREN. DVC. BRVNSV. ET LVNEBVRG. CONSILIAR. AVLICQ,  
IVDIC. PROVINC. AVL. ADSESS. ORDIN. IN ALMA IVLIA  
CAROLINA ANTECESS. ET FACVLT.  
SENIORE

IN IVLEO MAIORI  
A. D. XXX. MAII A. P. R. S. CLOCC XXXXVIII.  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM  
PRO RITE CAPESSENDIS SVMMIS IN VTROVQVE  
IVRE HONORIBVS  
PVBLICO PLACIDOQVE EXAMINI  
EXHIBET

PRAESES  
IOAN. CONRADVS SIGISMVNDVS **EDPP**  
SERENISS. DVC. BRVNSVIC. LVNEBVRG. A CONSILIIIS  
AVLICIS ET P. P. I. O.  
RESPONDENTE  
FRIDERICO **Carstens**  
WIZENDORFIO-LVNEBVRG.

HELMSTADI  
LITTERIS P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

